

L I B E R

ab ortu stellæ tempus est, ad mediationem cœli supra terram, æquatur tempori quod à mediatione cœli ad occasum fluit. Meridianus enim portiones parallelorum quæ supra Horizontem sunt omnes per æqualia secat. Item accedit sub Horizonte. Tempus autem quod fluit à mediatione cœli supra terram ad stellæ occasum in sphæra recta, æquale est tempori quod transit ab occasu ad mediationem cœli sub terra. In sphæra uero obliqua inæquale semper, nisi stella sit in æquinoctiali. Similiter tempus à mediatione cœli sub terra ad ortum, æquale est in sphæra recta tempori, quod est ab ortu ad mediationem cœli supra terram. In obliqua uero non, nisi stellam in æquinoctiali reperias. Accedit deniq; in sphæra recta, quod omnes stellæ cœlum simul mediantes, etiam simul oriuntur & occidunt. Secluso tamen motu eorum, qui inter has instantiam facit, quamuis admodum paruus accidit. In sphæra uero obliqua non sic, sed stellarum quæ una cœli mediant, quæ septentrionalior est, meridianā oriendo præuenit, occidendo uero sequitur &c.

PROPOSITIO V.

Dictas stellarum habitudines utiliter commiscere.

¶ Commiscebimus siquidem has habitudines dum quæc; stellarum cum qua parte Zodiaci oriatur, occidat aut cœlum mediet. Considerabimus etiam cum qua stellarum fixarum quisq; planetarum aut oriatur, aut occidat, siue cœlum mediet. Ad eas tamen habitudines quas stellæ ad Solē, & Horizontē habent, specialius descendemus. In nouē enim modo; eas partiemur.

¶ Primo habitudo est ortus matutini, dum scilicet Sol, & stella ipsa in orientali parte Horizontis statuuntur. Huic tres sunt modi. Unus quando stella sub radijs Solis existens, statim post Solem ortum oritur. Alius quando Sol & stella simul oriuntur. Sed horum duorum neuter sensu percipitur. Tertius dum stella radios aegrediens, prior Sole oritur.

¶ Secundo habitudo dicitur mediatio cœli matutina, quando scilicet Sol in orientali parte Horizontis existente, stella est in medio cœli. Cuius item tres modos distinguimus. Quorum unus est, dum statim post Solem ortum stella cœlum mediat. Hæc enim habitudo uisu considerari nequit. Alius modus accedit, quando Sole oriente stella cœlum mediat, qui quec; modus uideri non potest. Tertius modus, quando statim postquam stella cœlum mediat, Sol oritur, hic uisu notari potest.

¶ Tertia habitudo, quando Sol in orientali parte & stella in occidentali parte Horizontis constituuntur, & dicitur occasus matutinus. Cui tres sunt modi. Unus quando statim post Solem ortum stella occidit. Alius quando Sol & stella in Horizonte statuuntur præcisissime, ille quidem ex parte orientis, hæc uero ex parte occidentis. Sed neuter horum modorum sensu discernitur. Tertius modus, quando statim post stellam occidentem Sol oritur illum sensus comprehendere potest. Quartahabitudo uocatur ortus meridianus, quæ sit dum Sol in meridiano, & stella in orientali Horizontis parte fuerint. Cui duos modos dabimus. Unum dum Sol in medio cœli iuper terram fuerit, & stella in ortu, qui diurnus dicetur. Alium dum Sol in medio cœli sub terra fuerit, & stella in ortu, qui nocturnus appellabitur. Primum sensus comprehendere non poterit, sed secundum.

¶ Quinta habitudo est mediatio cœli meridiana, quæ contingit dum stella cœlum mediat, Sole meridianū occupante. Cuius duo sunt modi diurni.

Vnus